



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**


**Ulm, 1725**

Fasciculus XV. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

acceptabile &c. & S. Greg. Homil. 12. in Evangel. *Hunc diem de quo loquimur ad inducias conversionis accipimus, ne tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire.* Quid: si hodiè amicus mortis vicinus vos accerferet, scripturus vos ex asse hæredes: nunquid juberetis, in crastinum, aut ultra differri hoc negotium; dum interim grave subesset periculum mortis? nunquid ad pingue Beneficium, aut divites nuptias, ad officium honorificum vocati reponeretis: jam futuras aliò tempore occasiones, talia obtinendi? nunquid audientes, visitaturum vos magnum Principem hodie, aut domus vestras desereretis, aut alium commodiorem diem pro hac visitatione ei præscriberetis? hæc omnia & singula, quin imò alia plura longè minoris æstimationis negotia crastinum non patiuntur, & crastinum patiatur illud negotium, ex quo pendet æterna animæ salus? sed demus: Vos certos esse de crastino, imò de aliquot adhuc annis supervivendis, nunquid etiam certi eritis, de ritè peragenda pœnitentia? qui semel incidit in Judæos creditores, proximus est stipi: quia quò diutius non solverit, eò solvet difficilius; siquidem usuras usurarum quoque solvere, & tandem bonis suis cedere cogetur. Ita quò quis diutius peccatis immerfus hæret, debitum accumulat debito, eò indigniorem se reddens Dei veniã. Dæmon velut arancã captam muscam multotiès gyrandò filis suis implicat, & augetur malus peccandi habitus instar clavi, qui quò plures ictus acceperit, eò profundius infigitur parieti. Absit ergo ô Christiane Lector! ut crastinum pœnitentiæ tuæ præfigas diem, continget enim haud dubiè procrastinantibus, quod contigit Pharaoni, qui pœna ranarum ad pœnitentiam nondum permotus, muscã gravissimã obrutus est, quæ totam Regionem ejus consumpsit, musca hæc erit inexpectatò casu adveniens mors.



## FASCICULUS XV.

*Doctrinarum Moralium & Asceticarum.*

### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 9. lib. Exodi, in quo describitur Plaga ulcerum, & grandinis.*

Considera:

**A**lteram pœnam Talionis Pharaoni immissam: is siquidem, qui jusserat filios Israël sudare in coquendis late-

N. 88.

P

late-



lateribus, non dispari pœnâ punitus est per Moysen; qui Deo imperante tulit cinerem de camino, & sparsit in cœlum. Quò factum, horrendis ulceribus homines & jumenta adustos esse; ô quàm sedulo igitur custodiendi sunt sensus humani tam in-quàm externi, ne dum fiunt instrumenta offensionis, fiant quoque instrumenta ultionis divinæ; quis enim Samsoni eruit oculos, nisi lascivus Dalilæ aspectus? quis Absolonem è quercu pendere fecit, nisi crines nimis delicatè nutriti? ut alia exempla, superius jam adducta, taceam. Si quis Pharaoni dixisset de Moysè, quadraginta annorum spatium in Aula tam studiose educato: en Pharaon, hic ipse, quem tam tenerè & inordinatè diligis, te decem gravissimis brevè affliget pœnis, quin imò te devorandum absorbendumque dabit maris rubri aquis. Quid tunc egisset Pharaon? quos non lapides movisset, ut vel necatò, vel saltem ad Grammitas & Indos usque ejetò Moysè, securam redderet Aulam? tu Christiane per indubitata fidem probe nescis: non unum tantummodò in corpore tuo reperiri membrum, à quo gravissima animæ tuæ damna, quin imò æternam ruinam timere debeas: quid ages igitur, ut eam à tantis salves malis, & tam rigidam Talionis pœnam evadas? siccine non illicò paternis Christi monitis obtemperabis, cultro mortificationis abscindendò manum vel pedem, qui te scandalizaverit? siccine non vexabis vexantem, ut te ultrà vexare desinat? siccine non occides corpus, quod animæ mortem minitatur? dic ergo cum Bernardo apud Rodriguez part. 2. tract. 1. c. 4. *Exurgat Deus, cadat armatus iste, cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui amicus mundi, servus Diaboli - - - reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur. Nunc oculi, quos hætenus in obscœna conjecis Objecta, calidis pœnitentiæ lacrymâs ubertim fluant. Nunc manus ad impudicos tactus protensæ, flagellis armatæ in corpus sæviant. Nunc pedes, qui ad tabernas ad prostibula me deduxere, ad audendas conciones, ad obeundas supplicationes, ad frequentanda divina officia me deferant. Nunc guttur, quod ebrietati toties indulsit, pane & frigidâ compescatur aquâ, verbò. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire Justitiæ ad sanctificationem. Rom. 6. Ita pœnitens ille Rex pœnam Talionis evasurus, lacrymâs cœpit rigare lectulum suum; ut eo ipso in loco sese affligeret, in quo antea suæ carni blandiendò peccaverat. Ita famosa illa peccatrix Magdalena pœnitens effecta, crines, quibus*



tot juvenum corda impurò amore implicaverat, nonnisi tergendis Dominis pedibus applicuit. Ita impudens illud scortum Pelagia, quidquid meretriciò quæstu præciosum consecuta fuerat, in forum palàm congestum incendit rogò, ut per ipsa vanitatis impudicitiaëque suæ ornamenta, Deo faceret holocausta pœnitentiæ. Tu ergo talium exemplorum ductu pœnam Talionis, peccatis tuis debitam, ut advertas, dic cum Davide: *Lacrymâs meâs stratum meum rigabo.* Psal. 6. Dic verbò & factò cum Gentium Doctore 2. Corinth. 4. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

*Considera 2.* Et mirare: quòd Vindex Deus Aegyptiis grandinem N. 89. igni commistam immiserit: unde enim tam propinqua conjunctio calidi & frigidi? sed dubium hoc ingeniosè solvit Stephanus Cantuar. Asserens: id moris esse Deo, ut in hac vita peccatores puniens, signum aliquod amoris, qui per ignem denotatur, admisceat terrori: confirmat hoc S. August. Tract. 12. in Joan. dicens: *Qui flagellat te ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudientem, ne sentias Judicem punientem.* Quando aliquis lethargò decumbit, tunc prima medicorum cura in eo est, ut domesticos adhortentur: ægrum semper excitare studeant, fiat illud opportunè vel importunè, verbis vel verberibus perinde sit; dummodò non altum indormiat. Videt Deus peccatores profundo vitiorum somno demersos, nec evigilatos ad vitam animæ suæ, nî concutiantur & tuadantur: quare tribulationibus utitur, quibus vexati evigilent ad veram pœnitentiam, & inde ad animæ salutem. Ciceronem à sicariis ad necem quæsitum, dum in villa Cajetana nescius periculi somnum caperet largiorem, excitârunt corvi, abstrahendò à capite stragulum, ac laciniam togæ eò usque morsu tenendò, donec servus id observans, Dominum præsentissimi periculi admoneret. Val. max. l. 1. c. 4. alterum Ciceronem, sepultum somnò agit peccator, qui planè non unò, sed mille sicariis infernalibus circumdatur, salutem ejus insidiantibus. Sed ô providam & gratiosam Dei manum! en illa dormienti immittit corvos variarum tribulationum, qui morsibus eum impetant, donec ad veram pœnitentiam excitatus æternæ se subducatur neci. Quàm altum nunc dormiret inter tartareas flammâs filius ille prodigus: nisi Dèus ei misisset corvum, famem videlicet gravissimam, quâ excitatus exclamavit: *Surgam, & ibo ad Patrem.* Quàm profundè immer-



immersus æternis flammis jaceret nunc Saulus, nisi corvum accepisset à Christo, qui ipsum ex mulo præcipitem actum excæcavit, sed inde excitatum clamare fecit: *Domine! quid me vis facere?* tales corvos à gratiosa parentis superni manu se accepisse etiam fatetur Propheta regius, dum cantat: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Dicam ergo cum Salviano lib. 4. de Provid. Dei. *Quid miraris, si cadimur? quid miraris, si castigamur? si in jus hostium tradimur? si inferiores omnibus sumus? sive miseria, sive infirmitates, sive everfiones, sive captivitates, sive improba servitutes testimonia sunt mali servi, boni Dei. Quomodo mali servi? quia patior scilicet & ex parte mereor. Quomodo boni Dei? quia ostendit, quod meremur: clementissimam enim & benignissimam castigatione mavult nos corrigere, quam perire.*

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 10. lib. Exodi, in quo describuntur plaga locustarum & tenebrarum. Pharonis induratio nolentis Israëlitas cum ovibus & armentis dimittere.*

**N.90. Considera 1.** **I**nter omnes plagas licet atrocissimas, nullam tamen à S. Scriptura horribilem vocari, exceptis solum tenebris, quas præsens memorat caput, totam Ægyptum affecisse. *Facte sunt tenebrae horribiles in universa terra. v. 22.* Si liceat Christiane Lector; ex istis tenebris lucem moralis Doctrinæ trahere, dicam: nullam plagam tam terribilem immitti à Deo posse animæ peccatrici, quam quæ est tenebrarum spiritualium & cœcitatibus illius, quæ cor afficit. Videtur clarissimis Verbis hanc approbare sententiam Africæ Sol lucidissimus, dum Tract. 25. in Joan. scribit: *Tenebrae metuenda sunt morum, non oculorum, & si oculorum non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album & nigrum, sed justum & injustum. q. d. Hæ sunt horrendæ illæ tenebræ, quibus datis, adeo obscuratur humanæ mentis judicium, ut nec falsum à vero, nec terrenum ab æterno, nec utile à damno, nec impium à pio discernatur. Quibus datis datur ipsissima nox, in qua devius viator nescit, quò vadat, ruens ab uno in aliud præcipitium, & tandem in extremam abyssum. In has tenebras vix non devenerat, à nimio calore concupiscentiæ excæcatus, cæteroquin illuminatissimus David: quò factum, ut non viderit Deum suum, quem*  
alias



aliàs semper præsentissimum habebat : non viderit legem divinam, quæ fuerat antea *lucerna pedibus ejus* : non viderit æternæ damnationis periculum , à quo sibi tam studiosè cavebat ; hinc ceciderit in voraginem duplicis peccati, ex qua non emerisset ad lucem, nisi à Nathan Propheta rigidissimâ increpatione fuisset extractus. Quare beneficiô Pœnitentiæ veram lucem iterum adeptus exclamat Psal. 12. *Illumina oculos meos.* q. d. ô infinita Bonitas ! quæ fecisti de tenebris splendescere lumen , tribue intellectui meo , ut conservatur in lumine, per pœnitentiam obtento, ne unquam imposterum vel à stimulis carnis meæ, vel à vanitate mundi, vel à fallaciis Dæmonum excæcatus, *obdormiam in morte* lethalis peccati, & gloriari queat inimicus, *prevaleui adversus eum.* Tu es *refugium meum à tribulatione mea*, quæ circumdedit me : *exultatio mea erue me à circumstantibus me.* Nempe à Dæmonibus, novam cæcitatem mihi molientibus inferre. Et ecce ! ad ultimum hoc Psalmi pœnitentis petitum, sequitur divinum illicò responsum ; *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris.* In quàm profundam crudelitatis foveam ab ambitione sua excæcatus Absolon devolutus est, quando extinctâ omnî filialis reverentiæ & amoris face, quam cuilibet homini etiam barbaro natura accendit, non erubuit, paternum maculare thorum, subditos in rebellionem animare, quin imò ratum fixumque habere, non ante oculos claudere in placitum somnum, quàm innocentissimus parens suos oculos claudisset in mortem. Et quis sat claris describat verbis, illam totius Jerosolymæ civitatis caliginem, quam tot divina Prodigia ceu lucidissima præsentis Messix testimonia abigere non poterant ? hanc plusquam Ægyptiacam cæcitatem prævidens ille, qui venerat ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, amarissimis deslebat lacrymis, probè cognoscens : fore ut cum tenebris affectatæ ignorantix involuti, non cognoverint *tempus visitationis sue*, aliquando devolvendi sint in *tenebras exteriores*, in æternum non amplius illuminandi. Ex quo colliges Christiane Lector : non esse reperibile ullum in toto orbe malum, quod cæcitati mentis comparetur ; & hinc Deus, qui Dæmoni plenissimam dederat licentiam, in Jobum omnem effundendi rabiem, omnem exercendi crudelitatem, hanc unicam exceptionem salutaris clausulæ locò annexuit cap. 2. *veruntamen animam ejus serva.* id est : Cassiodorò interprete : *Tantummodò cum amantem non facias debilitatò animæ domiciliò*, aut ut Olympiodorus explicat : *Tantum-*



modo principalem animi partem ne attinge. Hæc siquidem illa lux est, de qua in Proverbiis c. 20. v. 27. testatur Deus: *Lucerna Domini spiraculum hominis*. Hæc enim conservatâ Job, etsi utrôque capitis sui oculô privetur, clarissimè videbit, cavebitque ut non in aliquod stultum, hoc est Deo suo injuriosum impingat, sed licet nullum præ nimis dolore membrum movere valeat, instar tamen velocissimi cervi viam mandatorum Dei percurrat. Christiane lector, cernens nunc miserimum hominis per peccatum excæcati statum, hoc inter primas constitue preces cum Davide: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.*

De reliquo: ut peccator, qui timore & horrore tenebrarum infernalium ad actus, è servitute Ægyptiaca vitiorum per sinceram Pœnitentiam vult liberari, saltem affectum, propensionem occasionemque peccandi non ex integro abscindat; & hinc in summo periculo relabendi, atque per relapsum hunc extrema mentis cæcitatem incurrendi versetur: ideò Diabolus se gerit instar Pharaonis, qui à filiis Israël Ægyptum egressuris petiit, ut saltem *parvulos, oves & armenta* sibi relinquunt. v. 24. cap. citati, ocius ergò cum Moysè eidem respondendum est: *Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis unguis* v. 26. nempe nullus affectus ad peccatum, aut ejus propinquam occasionem relinquatur.

### Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 11. lib. Exodi, in quo describitur despoliatio Ægyptiorum, mina de cede Primogenitorum.*

N.91. *Considera:* **Q**Uòd licet homines, qui vocante Deò Mundum velut alterum Ægyptum deserunt, in Chanaan religionis vitæ Deo servituri, quandoque multa vasa aurea & argentea thesaurosque propinquis suis videantur relinquere: attamen non Israelitis eos magis spolient, quàm divites reddant; rapiunt enim ipsis animi quietem, omnî thesaurò longè præstantiorem, dum eos divitis post se relictis onerant. Quid enim divitiæ nisi spinæ, quæ pungunt timore, dum habentur, pungunt labore, dum quærentur, pungunt dolore, dum perduntur? pulcherrimè ad nostrum propositum disserit S. Mart. Braccar, inquiens: *Quietissimam vitam agerent homines*



mines in terris, si duo hac verba à natura omnium rerum tollerent: meum & tuum. Satiatum opibus nulla nox placite dormire finit: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum perturbat, sollicitat abundantia. Quantis curis & anxietatibus premebatur dives ille epulo? terra, quæ aliis fecunditate suâ parit lætitiâ, huic peperit tristitiâ: sciebat, & sciens dolebat: abundantiam fructuum minuere eorundem pretium; & hinc in tantum sibi detrahi de lucro, in quantum uberior esset seges. Quidquid totâ die sudandò per se aut suos fecerat, nihil se fecisse putans, ad novos labores jam penè laboribus exhaustum corpus excitabat. *Quis non misericordiâ erga hunc corripetur, ait S. Basil. Serm. in divit. avar. aded à se ipso prosligatum, anxium in tanta copia, miserum in tot bonis? non enim proventus ei terra serebat, sed stetus & suspiria non fructuum copiam, sed curas, dolores & graves anxietates &c.* Hos effectus pessimos expertus quidam Philosophus: cum à Polycrate decem millia Ducatorum donò accepisset; ideoque ob phantasias animi inde exortas triduo fuisset insomnis, ocius remisit donum, jubens Regem retinere res suas, si præter curas aliud non haberet, quod donò daret. Sigismundus Imperator cum 40000. ducatos ex Hungariæ redditibus collegisset, nocte illâ prorsus nullum capiebat somnum: quare posterdie Aulam convocans dixit ad Proceres suos: *Ecce! carnifices meos, qui mihi somnum ademerunt. accipite eos, & dividite inter vos.* Jacobus Patriarcha, qui ex paterna domo profugus pauper & inops ad Jordanem devenerat, solò provisus baculò, eundem transiit absque ullo timore: at cum ingenti hominum & pecorum copia auctus, domum redire voluit, gravissimò terrore fuit percussus. Christiane lector, si eo jam vivas in statu, quò vivere sine divitiis non valeas; eò quòd, majoris familiæ patrem agas: ita vive, ut non videaris illi vivere juxta Senecæ monitum. *Epist. 18. ad Lucill. scribentis: Nemo alius Deò dignior, quam qui contempsit opes, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas.* Ut enim muscæ, si modicum mellis gustant, incolumes evadunt, secus si totò se corpore immergant: ita qui datis sibi à Deo divitiis utitur moderatè, innoxius manebit à nimia inquietudine, non item, qui eis plenum cor apposuerit. Moderatè autem divitiis utitur, quinimò utilissimè, qui eas liberè erogat in pios & laudabiles usus, puta: in alendam debitè familiam, in solvenda operariis & servis stipendia, in sub-



levandos pauperes, in augendum Ecclesiæ ornatum. Moderate divitiis pariter utitur, qui earundem jacturam non tristi fert animò, Jobum imitans ditissimum, qui perditis gregibus & armentis, tam æquò semper fuerat animò, ut exclamaret. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut placuit Domino, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Hunc secutus Seraphinus Franciscus, cum ex patre, quasi in rabiem actò, audiret: privandum se fore hæreditate, etiam pallium dimisit, asserens: sibi, rebûs omnibûs orbatò, ansam offerri, ardentius precandi: *Pater noster, qui es in Cælis.* S. Bernardus etiam Jobe hac in parte æmulus, cum ducenta argenti pondo sibi, ad impensa construendi Monasterii missa, audisset, à prædonibus & grassatoribus intercepta, gratias Deo retulit. Ut taceam Elisabetham viduam Thuringiæ Principis, quæ defunctò maritò à propinquis ciecta, rebûs suis spoliata, exulem miseram cum parvis liberis agebat, ea tamen patientiâ & liberà mente, ut à patre suo Pannoniæ Rege accersita, Conradò teste in ejus vita, ire recusaverit, inviçtâ Constantiâ suam inopiam latura.

Cæterùm perpende: quanta Deus media arripiat: ut iisdem induratum peccatoris pectus emolliat salutarî timore, & mediante hoc ad pœnitendum disponat: Quando enim sensit, Pharaonem tot immisis plagis nondum resipuisse; jam extremum, & cæteris omnibûs terribilius medium (necem videlicet omnium primogenitorum Ægypti) per Moysen comminabatur. Quanta ergo est malitia peccatoris, quæ talibûs non superatur mediis? si teste Cassiodorò *non habet venia locum, qui admonitus delinquit: ò quàm horrenda, meretur pœnas in Tartaro ferendas, qui frequentibûs etiam signis ad pœnitentiam instigatus, pœnitere recusat? imò in malitia de die in diem crescit?*

#### Doctrina 4.

*Desumpta ex cap. 12. lib. Exodi, in quo describitur mandatum de Agno paschali & modo illum comedendi atque secuta cades Primogenitorum.*

N. 92. Considera: **A**gnum Eucharisticum, cujus typum exhibuerat Agnus ille paschalis veteris testamenti, spectandò sensum moralem, eodem modò comedendum, quem Judæis dictante Deò præscripsit Moyses de comedendo Agno paschali. Utendum ergo lactu.



lactucis agrestibus, de quibus meminit S. Greg. M. homil. 22. in Evangelia: dicens. *Quod corpus Redemptoris accipientes, nos pro nostris peccatis in fletibus affligamus.* Christus Dominus Matth. 14. daturus panes, quibus turbæ reficerentur, prius voluit sanari ægrotos, non enim poterant ut *agrori vesci istis panibus.* Quod autem prævium requirebat in turbis, panem materiale accepturis, hoc requirit in illis, qui spirituali hōc pane reficiendi sunt; ut nempe prius ad sanitatem ægrotantis animæ per amaras, sed salutes lactucas poenitentiae redeant. quando Numeri 11. manna pluebant Cœli, Ros pariter descendit; ut Rore prius perfusi Israëlita abluerentur à sordibus, antequam cælesti fruerentur ferculō sponsa in Canticis priusquam invitaret ad potum & cibum amicos, dicendō: *comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. Audita est hæc verba præmittere: *Messui myrrham,* ostensura per hoc: refectionem animæ per cibum & potum Eucharisticum faciendam, præcedere debere amarā & lacrymosam poenitentiam. Neque etiam Josias Rex umbraticum illud Pascha citius fieri voluit, quam universam mundasset Judæam, superstitiosis ritibus, & contractis inde peccatis conspurcatam. *Quanta igitur, exclamat S. Ambros. orat. ante Miss, cordis contritione & lacrymarum fonte, quantā reverentiā & tremore, quantā corporis castitate atque animi puritate illud divinum & cœleste Mysterium est celebrandum Domine Deus! ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humana divinis junguntur.*

Uterius comedere oportet Agnum Eucharisticum renibus accinctis, corpore videlicet à pollutione immuni, à motibus venereis libero, castis desideriis inflammato. *Quantō possumus, hortatur S. August. Serm. 1. de temp. cum Dei adjutorio laboremus, ut cum sincera conscientia & mundo corde & casto corpore ad Altare Domini possumus accedere, & corpus & sanguinem ejus non ad iudicium animæ nostræ mereamur accipere.* Hinc & olim Christiani, singulis diebus hōc sacrō pabulō pasti, manus lavabant, Templum ingressuri; vas ergo præ foribus Ecclesiæ positum erat. aquā refertum, in cuius vicem nunc succedere aquæ benedictæ, quibus se aspergunt fideles, ab internis animæ sordibus mundandi, ut tam casto corpore, quam anima sacra peragant.

Comedi pariter debet Eucharisticus Agnus assus igni cum magna videlicet erga Deum & proximum charitate: sicut enim revera ipse est maximum in nos exercitæ charitatis signum, ita reciprocum a nobis

Q

bis



bis exigit amorem. Et licet pia mater Ecclesia cuilibet hunc agnum sumpturo imperet: ut suæ indignitatis memor, cum centurione exclamet reiteratis vicibus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Jubemur tamen baculo firmæ spei inniti, instar Zachæi cum gaudio tam benignum hospitem excepturi. Thronum Salomonis sustinebant duæ manus, hinc & inde tenentes sedile 3. Reg. 10. talem adumbrat thronus agnus Eucharisticus, gratiosas porrigens manus amicis, ut confidenter accedant, quin & voce animat, dum ait Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Demum *non lentè* comedendus est, sed summa cum animi aviditate. Quare davidicò protestatur ore: *Edent pauperes, & saturabuntur.* Pauperes, quis nescit, esse homines famelicos, & hinc maximo cum gustu & appetitu appositis vesci cibis? quare etiam Deipara virgo, quæ hunc cibum virginali in utero coxit, cantat Lucæ 1. *Esurientes implevit Bonis.* Ô si tantò appetitu protoparentes nostri comederunt fructum, sibi mortem allaturum, quomodò nos Christiani summâ cum aviditate involemus in panem, de quo dignè sumpto, certi sumus: consecuturos nos vitam. Joan. 6. dicente Christo. *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum.* Porro sicut illâ nocte, quâ abituri ex Ægypto Judæi comederant Agnum paschalem, omnia Idola divinitus diruta sunt: sic in anima, dum Sacro hoc pascitur Agnò, omnia Idola pravarum passionum & affectuum penitus evertenda sunt.



## FASCICULUS XVI.

*Doctrinarum Moralium & Asceticarum.*

### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 13. lib. Exodi, in quo describitur Lex de Primogenitorum consecratione.*

N.93. *Considera 1.*

**Q**UOD Deus quemlibet Christianum manè surgentem per Sanctam Inspirationem alloquatur talibus verbis, qualibus in Exordio hujus capituli fuerat Moyses

scilicet